

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**EXEGESIS || DIVINAE ATQVE || HVMANAE KOI-||nōnias. ||  
Autore PETRO BOQVINO || D. Theologo.|| ... ||**

**Bouquin, Pierre**

**Heidelberg, 1561**

Cap. XIII. De fide

[urn:nbn:de:bsz:31-248509](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248509)

refaciat, aut potius præbeat. Quid? Constat naturam ipsam corporis à Deo procul abesse: animam uerò cognationis habere plurimum, uel hoc ipso quèd spiritus sit, cuius naturæ Deum quoque esse: extra omnem dubitationem est positum.

*De Fide.*

CAP. XIII.

**Q**uariatione uniri cum Deo anima possit, non leuis questio esse uidetur. Siquidem licet anima spiritalis sit naturæ, quod cum Deo habet commune, tamen ipsam adhuc longissimo ab eo distare interuallo, dubium est nemini. Verùm nodum hunc dissoluere, non erit admodum difficile, si oracula sacra consulere, & audire, ut par est, uolumus. Ea enim certissimam & compendiosissimam uiam nobis commonstrant. Cum animæ facultates duæ sint præcipuæ (nam de ista re subtiliter disputare ne

*Per fidem  
homo uni-  
tur Deo.*

que

que uolo; neq; huius est loci) mens  
 nimirum atque uoluntas: & illa per  
 lapsum Adami obcæcata uerius sit  
 quàm obscurata, ista uerò à recto ab-  
 ducta: illam sanari, hoc est illustrari  
 primùm est necesse, ut ista deinde in  
 uiam redeat. Est enim prorsus uerum  
 literisq; sacris consentiens, quod uul-  
 go iactatur, *Nullam esse posse ignoti cu-  
 pidinem.* Ut ergo pristinum oculum,  
 seu lucem principio anima recupe-  
 ret, naturæ ordo postulat. deinde ut  
 illustrata, salutem seu foelicitatem ag-  
 noscat suam, & agnitam amet, ample-  
 ctatur, persequatur. Christus in ipso  
 statim exordio longè pulcherrimæ  
 orationis, quam ad patrem habuit, in  
 quaque multis de istius diuinæ *non uidi*  
*et* mysterio differit, præclarâ usurpa-  
 uit sententiam, ex qua facile cogno-  
 scemus quænam sit ratio unitiois a-  
 nimæ nostræ cum Deo. *Hæc inquit est*  
*uita æterna, ut te solum esse cognoscant*  
 h 4 Deum

Ioh. an. 17.



Deum uerum, & quem misisti Iesum  
 Christum. Veri Dei ignoratio, nos ab  
 ipso diuellit, uera ipsius cognitio con  
 iungit. in illa est mors, & extrema mi  
 seria: in hac uita est, salus, & foelicitas.  
 Luce ista nos Adami culpa priuauit:  
 eam Christi gratia restituit. ipse enim  
 qui in sinu est patris, & ἀπαύλασμα πα  
 ternæ relucen-tiæ siue gloriae, expo  
 nere tantum mysterium certò, uereq;  
 illustrare, non alius potest. Non abs  
 re is se patri in superiore illa sententia  
 adiunxit. Nā ad illū nō nisi per istum  
 itur: nemo illum nouit, nisi cui iste pa  
 tefecit. Qui hunc uidet, illum quoq;  
 uidet. nec nisi in eo uideri cognoscitq;  
 potest. Ergo patri quoq; coniungine  
 mo poterit, nisi quem iste qui inti  
 mus coniunctissimūque ipsi est ag  
 glutinavit. Non est à nobis in carne  
 conspectus (quod ut paucis est con  
 cessum, ita plerisque eorum non ad  
 modum profuit, imò obfuit plurimū)  
 neque

nequ  
 atq;  
 dit ip  
 rat Ad  
 tu fib  
 multa  
 uidere  
 si deli  
 ore ex  
 qui et  
 runt t  
 sum u  
 ad ip  
 bimū  
 corpu  
 trem  
 & ei  
 fides  
 esse n  
 esse  
 itaq;  
 let, p  
 S  
 dua

neque tamen à ratione eius uidendi,  
 atq; cognoscendi exclusi sumus. *Vi. Iohan. 8.*  
 dit ipsum qui multis annis præcesse-  
 rat Abrahamus adeò clarè, ut de intui-  
 tu sibi gratularetur. ita & nos qui post  
 multa temporum curricula sequimur,  
 uidere etiam eum possumus. Rationem  
 si desideramus, eam habemus, ipsius  
 ore expositã. Beatos pronunciat eos *Iohan. 20.*  
 qui etsi ipsum non uiderint, credide-  
 runt tamẽ. Nos ergo si credamus, ip-  
 sum uidebimus, ipsum cognoscemus,  
 ad ipsum accedemus, ipsi agglutina-  
 bimur, coalescemus cùm ipso in unum  
 corpus, ac per ipsum siue in ipso, pa-  
 trem & uidebimus & cognoscemus,  
 & ei adiungemur. Vna in Christum  
 fides, ista omnia præstat, si adest de-  
 esse nihil horum poterit. Si abest, ad-  
 esse quicquam illorum nequit. Hæc  
 itaq; nostri respectu, est quod dici so-  
 let, prora atq; puppis.

Solet Apostolus pietatis summam *Ephes. 1.*  
 duabus partibus complecti, fide ni- *Colos. 1.*  
 h s mi



Gal. 5. mirum & charitate. Eas etiam non-  
 nunquam uelut commiscet, & in u-  
 num quasi corpus coniungit, com-  
 mendans, fidem per dilectionem ef-  
 ficacem. Porrò illam apertè radice  
 atq; fundamenti instar, priore loco  
 statuit. Eam igitur si tollas, nihil faci-  
 es reliquum: hanc si ponis, & figis,  
 mox nascentur atq; sequentur alia. fe-  
 rè etiam Apostolus sic istas à sese di-  
 stinguít, ut fidem in Christum, chari-  
 tatē in sanctos seu fratres ferri dicat.  
 quæ sanè ratio discriminis ut non te-  
 mere ab Apostolo notata, & tam cre-  
 brò repetita est, ita à pietatis studio-  
 sis sedulò est obseruàda. Fidei propri-  
 um est in Christum ferri, ipsum appre-  
 hendere, in ipso acquiescere, quæ in  
 ipso sunt omnia haurire, homini ap-  
 plicare, & uelut accommodare. Itaq;  
 ut ea Christum totum cõprehendit,  
 ita qui ipsam habet, hunc accipit to-  
 tum, atq; possidet. is enim diuini ne-  
 quit, Charitatis est in credentes alios,  
 qui

Fidei &  
 charitatis  
 obiecta,

quæue eiusdē corporis membra sunt,  
 ac eodem uiuunt & aguntur spiritu,  
 se diffundere totam: illis adherescere,  
 in illisq; iuuandis se exercere, illis ob  
 lectari, & eos sibi agglutinare. Per il-  
 lam igitur cum capite, per hanc cum  
 corpore coimus, & coalescimus, sicq;  
 ueram *noivouia* nullam esse, neq; esse  
 posse, nisi ubi est uerè pietatis studiū,  
 apparet. Et ut fidei amor est coniun-  
 ctus, neque alterum sine altero habe-  
 ri potest: sic societatem cum capite,  
 qui membris coniunctus non sit, ne-  
 mo habebit. Disertè enim ait Iohan,  
*Si dixerimus, nos societatem habere*  
*cum eo, & in tenebris incedimus,*  
*mentimur, nec sincerè agimus.* Si qui-  
 dem fides & indiuidua ipsius comes  
 dilectio, nerui sunt & compages qui-  
 bus capiti mēbra adiungunt, adeoq;  
 totum corpus cōpingit, & continet.

Porro diuinam illam lucem in  
 hominū animis natura cæcis, nō alius



excitare accendereq; ualet, quā istius  
coniunctionis summus artifex Deus.  
Id uel una illa Seruatoris uox ad Pe-  
trum, ipsum esse Christū Dei uiuentis  
filium, profitentis, euidenter testatur.

*Mat. 16. Caro (inquit) & sanguis tibi non reuela-  
uit, sed pater meus qui est in cœlis.* Is em̄  
est, qui largitur ut filium agnoscamus,  
ipsiq; fidamus. Ergo fides quæ nos ip-  
si coniungit eius est & opus, & donū.  
Ut uerò res prorsus diuina est fides,  
ita diuina mirificac; est ipsius uis & e-  
nergia. Quod ut plenius intelligamus  
cōsiderāda paulisper Scripturę sacre  
huc pertinens consuetudo. Ea solet a-  
nimæ (quam incorpoream esse dici-  
mus, nullac; mēbrorum distinctiōne  
præditam) omnium corporis sensuū,  
& membrorum functiones ascribere,  
de eaque loqui perinde ac si corpore  
prædita esset. Neque id mirum uideri  
debet, cum similē etiam rationem eā  
sequi cōstet, cum de Deo differit, qui  
est

*Translatio  
à corpore  
ad animum  
scripturis  
familiaris.*



est simplicissimus spiritus, ab omni corporea concretionē alienissimus. Quā loquēdi forma uti spiritū sanctū in gratiam nostri, omnes intelligunt. Ea enim nostra est non tam tarditas, quā stupiditas, ut egrē percipiamus quicquam de sublimioribus, atq; subtilioribus rebus, à corporis sensibus remotis, nisi ipsis sit sensibus attemperatum, atq; accommodatum. Quidē etiam artes quæuis, imò ipsum imperitū uulgus, in quibusuis linguis, hoc dicēdi genere utitur: & hæc quas uocant à corpore ad animum translationes habet familiarissimas. Quas igitur diuersas esse uidemus, ob diuersa mēbra corporis, functiones omnes, ad animum traducere solent literæ sacræ. Eam enim ut audientē, uidentem, loquentem, gustantem, comedentem, odorātem, tangentē, amplectentem, incedentem, nobis describūt. Verūm omnia hæc, una illa diuina fides præstat, Vt etiam uaria Dei quæ dicuntur, attri-

attributa passim in scriptis Propheti-  
 cis atq; Apostolicis occurrūt: omniū  
 tamen piorum sententia quæ diuersa  
 nobis uidentur unum in Deo, qui res  
 est simplicissima, esse statuuntur. Sic  
 enim nostro captui se attemperare uo-  
 luit Spiritus sanctus, quæ ipsius est in-  
 comprehensibilis sapientia, & nostre  
 salutis cura. Nolo congerere testimo-  
 nia quibus rem ita se habere commō-  
 stre. Sunt enim omnibus obuia: ne-  
 que ulla credo inter sanæ mentis ho-  
 mines, ista de re est controuersia, uo-  
 lui tamen strictim hæc cōmemorare  
 atq; iuniores cōmonefacere, ut legen-  
 do exempla obseruent, & maturè as-  
 suescāt cōsiderare hanc spiritus S. pro-  
 uidentia: quo facilius discernere que-  
 ant simplex loquendi genus à figura-  
 to: & quæ sunt animæ, ab his quæ cor-  
 poris sunt prudēter & religiose distin-  
 guere sciāt. Certè diligentissimus scrip-  
 tor Chryl. non grauat ostēdere, fidem  
 solius animæ esse, enarrās cap. 4. epist.  
 ad Rom. De